Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 47
Quelle:
Copyright:

monium I. *Joh.* c. 5. a prima manu ita legitur: *Quia tres sunt, qui testimonium dant in celo pater verbum et spiritus sanctus. Et hij tres vnum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra spiritus aqua et sanguis.* Ad calcem accedit nota illa Vocabulorum hebr. Interpretatio.

Pag. *ult.* haec notata sunt: *Hanc bibliam integram. Calicem argenteum vna deauratum valoris XV. lbr. Item ornatum rubeum preciosissimum valoris XIII. lbr. denar. Item libros sermonum* (extritum) *taxatos pro XII. lbr. denar. Haec omnia obtulit Frater Benedictus de piburg quondam plebanus in Schinij nec non Capellanus et prouisor domus plurimum Reuerendi in christo patris et domini Domini friderici Episcopi ecclesie Seccouien. pie memorie pro monasterio lunelacensi Sancti Michaelis Taliter quod pro hijs superscriptis rebus perpetuis temporibus peragatur anniuersarium.* Plura deinceps erasa sunt, et sequitur: *Item hanc ordinacionem fecit et ordinauit superdictus Frater Benedictus tempore nouiciatus sui quando potuit libere exire uel permanere, ordinare ac disponere de rebus suis ad placitum suum. Anno domini M°. CCCC°. Quinquagesimo tercio. Fridericum III.* a. 1446. Episcopatu *Seccoviensi* potitum video in *Diplomatariis sacris Ducat. Styriae* P. I. p. 291. eumque jam a. 1453. successorem habuisse *Georgium.* Videtur igitur obiviſse a. 1452. jam enim *Benedictus* noster ad calcem *Psalterii Bibliorum* suorum supra adnotavit: se in Festo *Purificationis Marie*, ergo 2. *Febr.* 1453. hospitem fuisse in *Lunaelacu*, tirocinium videlicet ingressurum. Non poenitendum fuisse Coenobio hunc Tironem docet *Chronicon Lunael.* a p. 244—76. Abbas enim ab a. 1463. ad a. 1499. multa praeclare gessit, et, cum in die D. *Benedicti* natus, Sacerdos factus, Abbas electus fuisset, eundem etiam diem ultimum vitae habuit. Referam simile de *Franc. Dolfino* S. J. viro non incelebri, qui memoria mea identidem dicere solebat: *Augustus mihi semper augustus*; ajebat enim hoc se mense natum, Societatem ingressum, Sacris initiatum, regimini Sociorum admotum, etiam moriturum esse. Et liberavit fidem.

XXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 409. f. per duas columnas bene exaratus, ornatus lemniscis florulentis picturatis, non tamen per totum absolutis et ab a. 1660. Collegii S. J. *Viennae* complectitur *Sacra Biblia* vulgatae interpretationis cum Prologis *Hieronymi* et aliis solitis Argumentis, ad quae sequentia noto: *Gen. III.* 15. legitur: *Ipsa conteret* &c. *Esdrae*, ubi ornamenta deficere incipiunt, Liber II. inscribitur *Nehemiae*, et post se habet *Tertium*, qui *Secundus* dicitur. Psalterium definit in *Psalmo* CXLVII. quem continuo *Symbolum* tributum *Athanasio* excipit, R. 910

ad